

8. *Numeri similes* s. eiusdem generis (homogenei) sunt, qui ex unitatibus iisdem compositi sunt; qui ex diuersis, *dissimiles* (heterogenei) dicuntur.

9. *Aequalia* sunt, quae sibi substitui possunt, atque eandem magnitudinem habent; quae secus comparata sunt, *inaequalia* sunt. Signum aequalitatis est $=$. Quantitatem altera esse maiorem hoc signo $>$: minorem hoc $<$ indicant. Numeri itaque aequales sunt, qui totidem unitates continent.

10. Quae sunt aequalia eidem, sunt aequalia ipsa.

11. Quae sunt aequalia aequalibus, ea et ipsa sunt aequalia.

12. Totum est aequale partium suarum summae.

13. Idem autem totum qualibet parte sua maius est.

14. Pars vero quaelibet toto minor.

15. Si aequalia adiciuntur aequalibus, summae efficiuntur aequales.

16. Si autem inaequalia aequalibus adduntur, summae inaequales nascuntur.

17. Si maiori et minori aequalia adiciuntur, summa prior etiam erit altera maior.

18. Aequalia si aequalibus subtraxeris, residua erunt aequalia.

19. Si autem maiori et minori aequalia demseris, residuum prius altero maius erit.

20. Si denique aequalia aequalibus aut multiplicentur, aut diuiduntur, summae, vel quoti, aequales fiunt.

21. Quod